



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XLIII. De S. Thoma Abate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

~~salutis in nobis, gloriis ista organo, quod dicitur in nobis.~~

~~et in nobis quod pietatis suorum, et misericordia nostra.~~

~~Salutis in nobis, gloriis ista organo, quod dicitur in nobis.~~

C A P. X L I I .

De S. Thoma Abate.

Martyrologium Romanum ad diem 18. Nouembris, de hoc sancto viro ita loquitur: Antiochiae S. Thomae Monachi, quem Antiocheni ob pestem eius precibus sedatam, solemnitate annua coluerunt. Quæ postrema verba desumpta sunt ex Nicephoro, qui de eodem agens lib. 17. cap. 24. scribit quod incorporis sui translatione pestilentæ, qui tum grassabatur, morbum dispulerit, quam ob causam Antiocheni anniversariam eius memoriam magnificentissime, festum diem agentes, celebrare consueuerunt. Qua verò de causa illa translatio contigerit, juuat audire Ioannem Moschum in prato spirituali cap. 88. vbi hæc de Thoma refert: Cùm venissimus Theopolim presbyter quidam ipsius Ecclesiæ narravit nobis de Abate Thoma, quod apocrifarius (sic vocabantur qui Ecclesiæ negotia curabant) fuerit Coenobij, quod est in partibus Apameæ. Venit ergo senex Theopolim pro utilitate Monasterij; & cùm hic remoraretur, defunctus est in Daphne in templo sanctæ Euphemiacæ. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum, quasi peregrinum inter peregrinorum sepulcræ: Sequenti verò die humauerunt & mulierem & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda, circa horam verò sextam, euomuit illam terra. Loci vero illius accolè videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursum vespere sepelierunt ipsam in eodem tumulo,

mulo, & sequenti die inuenierunt corpus supra sepulcrū. Accipientes ergo corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierunt aliā mulierem supra Abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius Clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri: & illam ergo rursus emovuit terra. Tunc agnoverunt quia non permittit senex mulierem super se humari, abeentesque nuntiauerunt Patriarchæ Domino. qui omnem simul ciuitatem cum cereis ascendere fecit in Daphnem & cum Psalmodia sancti viri reliquias in urbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cemeterio, ubi multa martyrum corpora condita sunt; feceruntq; supra ipsum breue oratorium. hactenus Moschus. Addit autem Nicephorus, quod Antiochiam venire solitus (illius enim Ecclesiæ censebatur) annuis alimentis receptis in mansionem suam quadam die rediret. Hunc Anastasius Ecclesiæ eius minister & coeconomus, quod frequenter ei molestus esset, manu in facie verberauit. Eam rem cum illi qui cum eo erant, e grè ferrent, ipse, Neque Thomam dixit de cetero quidquam ab Ecclesia accepturum, neque Anastasium daturum esse. & utrumque iuxta prædictionē eam accidit. Anastasius siquidem postridiē eius diei vita defunctus est: & Thomas ad tugurium suum reuertens, postquam in Daphnes suburbium vicum peruenit, in ægrotorum hominū diuersorio ad meliorem illam vitā migravit. ista Nicephorus. Qui poste à Ioanni Moscho suffragatur de cadavere alio atq; alio ei superingesto, & reiecto. Quo facto non obscurè Deus indicare voluit, quām remoti viri Religiosi à feminarum confortio esse debeant, quantumque illud ipsum vir sanctissimus semper fugerit cuius etiam horrō post mortem præ se ferre videbatur. Sic de B Fiacrio Hiberno, vt habet eius vita 24. Augusti, legimus quod ob il-

E e 3 lustre

Iustre miraculum à se perpetratum à femina Monasteriū eius visitante magiæ accusatus orauerit, Ne deinceps loci limina immunis intret femina. Quare illo ex tempore muliebre genus Monasterij aditu, quod B. Virgini dicatum erat, vis quedam diuina prohibuit nullaque femina intulit pedem immunē. nam matrona quedam diues quę ancillam experiendi causa ea quae audierat, in Monasterium sua manu compulerat, altero priuata oculo est, incolumi serua quae vim alienam heræque impulsum repellere nequiuisset. Similis vindicta persecuta est feminā audenter ingredientem Monasteriū S. Carelephi, vti refertur in eius vita. S. Iordanes qui S. Dominico proximē in generalatu successit fratrem quemdā increpuit, quod manum mulieris tetigisset. Cumque ille regereret, Mulier hæc pia & deuota est, respondit Iordanes: Pluuiia bona est & terra bona, & tamen ex horum commixtione fit lütum. Verè itaque Sapiens: De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. nam vt S. Bernardinus ait, Mulieris corpus totum est igneum. Scio, dicebat S. Ludouicus Episcopus matri suæ reginæ Siciliæ, filium suum pro more gallico osculari volenti, quod mater mea es: sed & mulier es, quam seruo Dei osculari non licet. Sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuo soluitur & deficit: & Monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in id definit vt jam Monachus non sit. Ita senior ille apud Sophronium in prato spirituali c. 119. Fuge igitur hanc pestem quisquis pestem animæ tuæ metuis, & salutem eius sartam tectam desideras.

C A P.